Wieseler · Disputatio · 1866

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

HENRICUS ALB. ZACHARIAE D.

CUM SENATU

SUCCESSOREM IN SUMMO MAGISTRATU ACADEMICO

GEORGIUM WAITZ D.

CIVIBUS SUIS

HONORIS ET OFFICII CAUSA

COMMENDAT.

Inest

FRIDERICI WIESELERI disputatio *de difficilioribus quibusdam Pollucis aliorumque scriptorum veterum locis ad rem scaenicam spectantibus.*

GOTTINGAE MDCCCLXVI.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

Herrn Professor Dr. [illegible] in Dresd.

Summo magistratu academico, quem per biennium gessi, perfunctus renuncio successorem collegarum suffragiis creatum et confirmatum ab iis, quorum hoc erat, virum experientissimum

GEORGIUM WAITZ D.,

quem laudibus ornare supervacaneum est, quum hoc ipsum, quod collegae ab eo nunc maxime regi voluerunt hanc Academiam, pro summis laudibus sit. Amisit rectorem suum Georgium Georgia Augusta, ex inclita regum stirpe, cui haec Academia originem, incrementa, gloriam debet, oriundum. Caret interim rectore. Quare Vos, Commilitones, hortor atque moneo, ut labores ejus, cui pro rectore videndum erit, ne quid detrimenti capiat nostra respublica literaria, morum honestate legumque reverentia et obsequio, quantum penes Vos est, minuatis atque omnino, quid Vobis, quid patriae, quid almae huic Musarum sedi debeatis, probe memineritis.

Julius Pollux quae de re scaenica conscripsit ex parte tam sunt obscura, ut quamvis diu sit, ex quo doctissimorum eorundem atque sagacissimorum hominum cura et studio tractata sunt, tamen etiamnunc loci paullo difficiliores tantum non omnes vel emendatione egeant vel explicatione idonea.

Vexatissimi loci continentur iis, quae Onomast. IV, 121 seqq. reperiuntur scripta. Haec quin ad celeberrimum illud theatrum lapideum, quod Athenis fuit sub arce, et ad rem scaenicam Atheniensium spectent, vel propterea dubitari nequit, quod Pollux theatrum appellandum esse dicit *θέατρον*, h. e. theatrum

tanquam nomine proprio, quae notatio eodem redit atque usitatior illa, ex qua per eminentiam vocatur *τὸ θέατρον*) *καὶ Διονυσιακὸν θέατρον καὶ Ληναϊκόν*, iique poetae, ad quos provocat, non sunt nisi tragici aut comici Attici.

I.

Primus locus nondum ad liquidum perductus hic est, §. 122 positus: *„ἔξεστι δὲ καὶ τὸ παραπέτασμα αὐλαίαν καλεῖν, Ὑπερίδου εἰπόντος ἐν τῷ κατὰ Πατροκλέους „οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντο ἐν τῇ στοᾷ, περιφραξάμενοί τι μέρος αὐτῆς αὐλαίᾳ."*

Quaeritur, quid significetur verbo *παραπέτασμα*. Multiplex enim fuit velorum in theatro atque re scaenica usus 1). Plurimi agi censuerunt de velo, quod logeo praetentum esset, atque inter hos fuerunt, qui apud Pollucem Romanum theatrum esse intelligendum statuerent, apud Graecos veli illius nullum fuisse usum contendentes 2). At hoc, quod postremo loco dixi, si jure factum esset, jam propterea esset respuenda illa verbi *παραπέτασμα* interpretatio. Neque enim dubitari potest, quin Pollux rei scaenicae, qualis fuit apud Romanos, nullam omnino rationem habuerit.

1) Exemplum usus cujusdam rarissimi commemoravit ipse Pollux paullo infra §. 125, ubi haec scripta leguntur: *τὸ δὲ κλίσιον ἐν κωμῳδίᾳ πάρακειται παρὰ τὴν οἰκίαν, παραπετάσματι δηλούμενον, καὶ ἔστι μὲν σταθμὸς ὑποζυγίων, καὶ αἱ θύραι αὐτοῦ μείζους δοκοῦσι, καλούμεναι κλισιάδες, πρὸς τὸ καὶ τὰς ἁμάξας εἰςελαύνειν καὶ τὰ σκευοφόρα* cett. Errare enim Kolsterum Sophocl. Stud. p. 27, verbis huc pertinentibus hanc subesse sententiam censentem: »der Stall aber ward durch eine zeltartige Vorrichtung hergestellt«, solis luce clarius est. Schoenbornius l. c. p. 71 et 106, adn. 41 *παραπέτασμα* dici opinatur velum, in quo scaena pingi solita sit. At ei quominus adstipulemur prohibet vel id, quod verba *παραπετάσματι δηλούμενον* nullo pacto significare possunt »in velo pictum«. Quomodo interpretandus esset hic locus Pollucis, ego jam dudum docueram in libro, qui inscribitur »Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens«, p. 81, adn. ad tab. X, fig. 10, provocans ad ectypon Neapoli adservatum, quod denuo edendum curavi ibid. tab. XI, fig. 1, vel a G. A. Beckero in Paulyi Encyclop. s. v. Aulaeum Vol. I p. 1010 parum intellectum.

2) Ex his primo loco nominandus est Godofredus Hermannus, qui quam olim in Nunt. liter. Lipsiens. a. MDCCCXVIII, p. 1906 de hac re proposuerat sententiam, repetivit in dissert. de re scen. in Aeschyl. Orestea, p. 13. Simile atque Hermannus judicium protulit Groddeckius in disput. de aulaeo et proedria Gr., praelect. in Univers. liter. Vilnensi a. MDCCCXXI habend. praemissa,

Scio equidem, illam de veli usu sententiam etiamnunc esse plurimorum virorum doctorum [3]); nihilominus tamen certum est, si quid aliud, jam veteres Graecos velo usos esse quoties scaena tota mutanda esset. Sane quidem Genellium — qui vir elegantissimus in libro, quem de theatro Atheniensi scripsit, p. 54, primus rectissime significavit, cur hic veli usus statui deberet [4]) — erravisse in iis, quae de scaenae faciendae ratione generatim atque universatim disseruit, jam pridem A. G. Schlegelius in appendice ad lectiones de arte et literatura dramat. habitas, quae reperitur ad calcem volum. prioris in tert. edit. ab Ed. Boeckingio cur. p. 291 seqq., et nuper A. Schoenbornius in libro de scaena Gr., p. 34 seqq., rectissime judicaverunt; at nullus, qui quidem attente perlegerit fabulas graecas quae supersunt, infitias ibit, plures ex iis scaenam habuisse talem, cujus mutatio solis tabulatis tractis versisve facta esse non possit. Accedit, quod cavendum erat, ne scaena prius conspiceretur quam aptum esset. Nec profecto in fabulis, quae aetatem tulerunt, desunt exempla satis idonea ad probandum, quod volumus, logeum ab initio oculis eorum qui spectabant subtractum fuisse. Proferam per hanc occasionem ea tantum, quae tanquam gravissima diu est ex quo in scholis meis hac in universitate liter. habitis in censum vocare satis duxi. In Promethei vincti initio conspicitur Titan ipse stans in rupe, ad quam mox affigetur a Vulcano statim ab initio praesente; ad latera illius stant Robur et Vis. Promethei corpus, quod affigeretur, merum simulacrum fuit, sub quod idem histrio, qui primo Vulcani partes egit, postea demum subrepsit ejusque ex ore sequentia pronunciavit

---

p. 303 seq., nisi quod paullo cautius loquutus est in hunc modum: „Quod si quaeris, au Graecis in theatris talia scenae operimenta usitata fuerint, rem amplius cognoscendam, certe ex Polluce, qui Romanorum morem respicere potuit, confici haud posse, respondebo". Hermanno brevi post plane adstipulatus est C. A. Boettigerus, vid. ejus Script. min. arch. et antiq., a J. Silligio edit., Vol. I, p. 402 seq.

3) Satis habeo nominavisse eos, qui recentissima memoria bene egerunt de re scaenica: Schoenborn. de scaena Gr. p. 35, Sommerbrodt. in Fleckeisen. Annal. philol. ex a. MDCCCLXI, p. 565, Alb. Mueller. in Philolog. Vol. XXIII p. 327. Solus nuper secus statuit Lohdius, architectus intelligens, de scaen. vet. p. 12 seq., iisdem fere, ut videtur, rationibus universalibus ductus, quibus Genellius atque ego.

4) Non memineram ego Genellii, quum scribebam quae typis exscripta exstant in Nunt. literar. Gottingens. a. MDCCCLIV, p. 154.

(ut mea faciam ea quae secundum Welckerum de Aesch. ternione Prometheo p. 30 dicta sunt a C. Fr. Hermanno in disputatione de distributione personarum inter histriones in tragoed. gr. p. 23, quibus jam pridem adstipulati sumus ego in Advers. in Aesch. Prom. vinct. p. 4 et G. Hermannus adnot. ad Aeschyl. p. 55). Personae illae cum hoc simulacro num ante oculos spectatorum in scaenam venisse putandae sunt? Id si omnino esset credibile, maxime probabile esset, curru advectas esse. At hujus ne verbo quidem mentio injecta est, quod procul dubio factum esset, si aeque atque currus Oceanitidum et animal, quo vehitur Oceanus, in scaena fuisset conspicuus. Haud est dubitandum, quin rupes ad dextram specum habuerit a parte caveae adversa ad aversam pertinentem. Per hunc specum omnes personae ab aversa rupis parte in eum locum, in quo stabant, venisse videbantur, atque, vinciendi negotio absoluto, Vulcanus et Robur atque Vis abierunt, ut eadem via eademque ratione, qua advenisse putabantur, domum redire viderentur. — Porro verba, quae proferuntur ab eo, qui in initio Agamemnonis excubias agit, si quis accurate perpenderit, num a se impretrabit, ut credat, hominem sic loquentem ante ipsos spectatorum oculos tectum domus Agamemnoniae ascendisse, ut vigilias nocturnas ageret, quibus eum jam antequam dicere inciperet occupatum fuisse verba ipsa testantur? — Denique in initio Vesparum conspiciebantur dormientes sub divo duo servi ante aedes in scaena repraesentatas, item in initio Nubium Strepsiades ipsiusque filius Phidippides cum servis. Sensit etiam Schoenbornius, hos non potuisse ante oculos spectatorum cubitum exire ex aedibus, itaque eccyclema in auxilium vocavit, l. c. p. 325 et 345. At enim — ut taceam, eum nihil dixisse de ratione, qua in Vespis Bdelycleonem spectatoribus in adspectum venisse censeret, quem secundum vs. 67 seqq. probabile est in tecto aedium cubantem conspici — quis non videat, quam mirum sit de eccyclemate vel simili aliqua machina cogitare, ubi, sumpto veli, de quo sermo est, usu, res optime se habebit et nullae omnino restabunt difficultates [5])? — An idoneae exstant rationes, quibus efficiatur, Graecos veli istiusmodi usum non habuisse?

5) Taceo illa, quae attulit Schlegelius l. c. Vol. I, p. 59, quamquam facere non possum, quin moneam, minime esse ferendum, quod Geppertus de scaena gr. vet. p. 153 et Rothmannus in comment. de theatro Athen. p. 11 ea ipsa contrariae favere sententiae opinati sunt.

Non opinor. Quod enim non solum logeo, verum etiam orchestra utebantur ad agendum, nostrae sententiae non officit; nam procul dubio velum non praetendebatur logeo nisi vacua facta orchestra. Quod autem olim contendebant, nullam peculiarem veli hujus appellationem traditam esse, etiamsi verum esset, nihil probaret. At verum non est. Certe Duris Samius, Polybius, Synesius *προσκήνιον* appellaverunt illud velum, quo de sermo est, et aliud stmillimum et ipsum scaenae parieti praetendi solitum; simul Duris quae tradiderat ostendunt, id ipsum, quod dicimus, proscaenium jam tempore Demetrii Poliorcetae Athenis fuisse in usu: vide quae disputavimus de theatro gr. vetere agentes in Encyclopaed. liter. et art. I, Vol. LXXXIII, p. 216 seqq. [6]). Itaque jam veteres Graecos usos esse hoc velo certum est.

Vel sic tamen haudquaquam adstipulandum esse censeo hominibus doctis, qui statuunt, huc referendum esse illud *παραπέτασμα*, quo de apud Pollucem l. c. sermo est. Documento attulerunt hos lexicographorum locos haud dubie cum eo, de quo agitur, conferendos: Suidae s. v. *αὔλαια* (T. I, p. 858, 3 seqq. Bernhard.) ejusque, quem edidit Bekkerus Anecd. p. 463, 14 seqq. *αὔλαια τὸ τῆς σκηνῆς παραπέτασμα· κέχρηται δὲ αὐτῷ Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Πατροκλέους*, et Hesychii s. v. *αὔλαια: — τὸ τῆς σκηνῆς παραπέτασμα*, post quae verba secundum M. Schmidtium Vol. I, p. 321, ad vs. 87 „*παρὰ Ὑπερίδους* addit C. 171". Verum enim vero illi lexicographi ad unum omnes haud dubie non de scaena et theatro cogitaverunt, sed de tentorio. Eodem spectant,

---

6) Iis, quae l. c. disputavi, accuratiora jam addam haecce. Apud Synesium, Opp. T. I, p. 172 Krabinger., haud dubie sermo est de sipario mimorum, quo de conferenda sunt quae scripsit C. J. Grysar de romano mimo agens in Actis Acad. scient. Vindob. Vol. XII, (p. 41 seq. exempli separatim typis excripti). Hoc pars tantum logei operiebatur et sub eo latebant paradoxi, ut mea faciam verba scholiastae ad Juvenal. Sat. VIII, 185; removebatur autem diducendo. Fieri potest, ut tale siparium etiam intelligendum sit in loco Polybii a Suida s. v. *προσκήνιον* allati, quamquam certum est tantum, etiam hic cogitandum esse de proscaenio, quod diducendo removeretur. Contra haud videtur dubitandum esse, quin proscaenio, quod Duris apud Athen. XII, 50, p. 536, a, commemorat, logeum totum vel tantum non totum (ergo „nicht partiell", non „partiell", ut typis exaratum est l. c. p. 217, adn. 73, versus finem) fuerit opertum. Id qua ratione removeri solitum sit, e verbis scriptoris non liquet; at conjici potest, immo vero etiam veri est simile, hanc ab illa non fuisse diversam.

quae scripta reperiuntur in Etym. Magn. p. 170, 29: λέγονται δὲ αὐλαῖαι τὰ παραπετάσματα τῆς σκηνῆς, ὡς παρὰ τῷ Θεολόγῳ, quibuscum conferenda sunt quae praebet Zonaras p. 345 Tittmann.: Αὐλαῖαι· αἱ δέρρεις τῆς σκηνῆς, τοῦ θεολόγου· τῶν αὐλαιῶν μὴ φείσῃ [7]). Hyperides autem, ad quem illi lexicographi provocant, ipse minime quidem de theatro sermocinatus erat, nec magis de tentorio, sed eum velorum usum respexerat, ex quo intra aedes adhibebantur ad circumsepiendum et separandum. Praeterea — id quod gravissimum est — ordo, quo res ad theatrum pertinentes apud Pollucem tractatae sunt, non sinit velum §. 122 commemoratum ad scaenam referre. Nam ea, quae hic et paullo ante disputantur, non spectant nisi ad eam, quam Romani caveam appellabant.

Quae cum ita sint, dicat aliquis, vix dubium esse posse, quin de velo illo sermo sit, quo veteres per tempus ludorum caveam operuisse constat. In hanc sententiam jam pridem abiit Stieglitzius in libro, cui titulum fecit „Encyclopädie der bürgerl. Baukunst", T. IV, p. 55, atque in eo, quem inscripsit „Archaeologische Unterhaltungen" Part. I, p. 99. Potest ea etiam hoc probabilior reddi videri, quod Wordsworthius in libro, qui inscribitur „Athens and Attica", p. 90 edit. II, in theatro Bacchico Atheniensium, ad quod ex nostra sententia illa, quae traduntur a Polluce referenda sunt, se ipsum vidisse ancones illos perforatos, qui velis extendendis serviebant, testatur.

Nihilo secius ego quidem vehementer dubito, num illa vocabuli παραπέτασμα interpretatio admittenda sit. Etenim temporibus Graeciae liberae, quae procul dubio respiciuntur a Polluce, nondum exstitisse usum totam caveam velis operiendi, eo magis certum est, quod ex Aeschinis orationis advers. Ctesiphontem §. 76 apparet, evenisse, ut singuli loci ad proedriam, quam vocabant, pertinentes separarentur a reliquis et operirentur velis, id quod significavi jam in scriptione de theatro gr. vetere l. c. p. 214, adn. 63. Ad hoc igitur revocanda esse illa verba a Polluce posita existimo. Favent autem huic sententiae, nisi eminenter fallor, cum maxime verba, quae sunt in loco Hyperidis, quem testimonio attulimus, haecce: περιφραξάμενοί τι μέρος αὐτῆς αὐλαίᾳ.

II.

Pollux postquam §. 124 τριῶν τῶν κατὰ τὴν σκηνὴν θυρῶν mentionem

---

7) Apud Zonaram post θεολόγου videtur intercidisse: λέγοντος.

injecit, et §. 125 verba ad id, quod est *κλίσιον* spectantia, quae paullo supra p. 4 adn. 1 attigimus, interposuit, §. 126 ita pergit: *παρ' ἑκάτερα δὲ τῶν δύο θυρῶν τῶν περὶ τὴν μέσην ἄλλαι δύο εἶεν ἄν, μία ἑκατέρωθεν, πρὸς ἃς αἱ περίακτοι συμπεπήγασιν, ἡ μὲν δεξιὰ τὰ ἔξω πόλεως δηλοῦσα, ἡ δ' ἑτέρα τὰ ἐκ πόλεως, μάλιστα τὰ ἐκ λιμένος· καὶ θεούς τε θαλαττίους ἐπάγει, καὶ πάνθ' ὅσα ἐπαχθέστερα ὄντα ἡ μηχανὴ φέρειν ἀδυνατεῖ. εἰ δ' ἐπιστραφεῖεν αἱ περίακτοι, ἡ δεξιὰ μὲν ἀμείβει τὸ πᾶν, ἀμφότεραι δὲ χώραν ὑπαλλάττουσιν. τῶν μέντοι παρόδων ἡ μὲν δεξιὰ ἀγρόθεν ἢ ἐκ λιμένος ἢ ἐκ πόλεως ἄγει. οἱ δὲ ἀλλαχόθεν πεζοὶ ἀφικνούμενοι κατὰ τὴν ἑτέραν εἰσίασιν.*

Est hic locus unus omnium maxime vexatus.

Et primum quidem non leviter offendimur, si ea, quae in initio de machinis versatilibus traduntur, comparamus cum iis, quae versus finem de utroque aditu a lateribus in pulpitum ferente leguntur scripta. Quare G. Hermannus l. c. p. 4. seq. „haec", inquit, „aperte diversorum scriptorum verba sunt: nam si dextra *περίακτος* quae extra urbem sunt, sinistra autem quae ab urbe et portu apparent ostendit, non possunt, ut alter dicit, qui ex urbe aut rure aut a portu veniunt, quae pertinent ad urbem, e dextro aditu, peregrini autem e sinistro prodire: ex quo consequitur alterum ut in proscenio, alterum ut inter spectatores stantem esse locutum". Fuerunt quidem, qui hoc ipsum optimo jure factum esse contenderent, aliam esse rem existimantes, si de logeo, aliam, si de utroque aditu orchestrae sermo esset — sic enim capiunt voc. *πάροδος* —, at falsos esse demonstravi l. c. p. 225 seq., adn. 125. Neque tamen ideo probabile est, Pollucem tam negligenter ea, quae aliunde sumpsit, composuisse, ut G. Hermannus opinatus est. Immo si facillima mutatione correctum fuerit: *τῶν μέντοι παρόδων ἡ μ ε τ ὰ δεξιὰ — ἄγει*, scrupulus, quo de sermo est, residet. Nonne enim „aditus, qui dextrorsum fert", re est *ἡ ἀριστερὰ πάροδος*?

Restant vero alii scrupuli. Etenim —, ut ab hoc ordiamur — quid sibi vult verbum *ἀγρόθεν*, quod additum est ibi, ubi de utroque aditu agitur? Plures homines docti non dubitarunt, quin corruptum sit. Sic ego quoque statuo. Videamus tamen primo, num forte librorum scriptura defendi possit interpretando. Pollux respicit solas eas fabulas, in quibus res agitur in urbe. Haudquaquam cogitat de ternis fabularum speciebus, una, in qua res agatur in rure (ut in Electra Euripidia et in Pace Aristophania), altera, in qua locus, quo rem

agi fingitur, ad portum aliquem pertineat (ut in Supplicibus Aeschylia), tertia, in qua scaena sit in urbe (id quod saepissime reperitur in fabulis, quae aetatem tulerunt). Haec enim si Pollux voluisset, verba *τῶν παρόδων ἡ μετὰ δεξιὰ* (*ἄγουσα*) *ἀγρόθεν ἢ ἐκ λιμένος ἢ ἐκ πόλεως ἄγει* per se quidem facillima essent ad explicandum, sed non satis responderent verbis ad machinas versatiles spectantibus, ad quae referenda sunt, ita conceptis, ut clarum sit, non esse sermonem nisi de fabulis, in quibus res agitur in urbe. Quae quum ita sint, apparet verbum *ἀγρόθεν* ferendum non esse, nisi demonstratum fuerit, agri eandem esse posse causam atque portus et urbis ipsius. At apud scriptorem vitae Aristophanis (vid. edit. Aristoph. a Bergkio cur., Vol. I. Proleg. de Com. XII, 14.) de choro haec traduntur: *εἰ μὲν ὡς ἀπὸ τῆς πόλεως ἤρχετο ἐπὶ τὸ θέατρον, διὰ τῆς ἀριστερᾶς ἀψῖδος εἰσῄει, εἰ δὲ ὡς ἀπὸ ἀγροῦ, διὰ τῆς δεξιᾶς.* Nonne ea adversa fronte pugnant cum iis, quae apud Pollucem reperiuntur? Secus statuit G. Hermannus, hic *ἀγρόθεν* significare „ex suburbiis", illic *ἀπὸ ἀγροῦ* „ex remotis ab urbe locis" ratus. Probabile est sane, non solum eum, qui ex urbe, verum etiam eum, qui ex suburbio vel suburbano veniret, e sinistro aditu prodisse, quia suburbium et suburbanum, quod Justinus XXXI, 2, 3 dicit r u s u r b a n u m, arctissime conjuncta sunt cum urbe. Sed haudquaquam credibile est, Pollucem id, quod est „ex suburbio" vel „ex suburbano", dicturum fuisse *ἀγρόθεν*. Etenim non solum inferioris aetatis scriptores, qui de rebus scaenicis agunt, ut ille vitae Aristoph. scriptor atque is, quem primum edidit Cramerus Anecd. Paris. T. I, p. 8, 24 et 9, 10 sq., deinde etiam Bergk. l. c., VIII, 31 et 33, verum etiam alii iique optimi verbo *ἀγρὸς* ita solent uti, ut id opponant verbo *πόλις*, aeque atque scriptores latini r u s opponunt u r b i. His expositis apparebit etiam, cur adstipulari nequeamus iis, quae nuper disputavit A. Muellerus Philol. Vol. XXIII, p. 323, qui — praeterquam quod non meminit, rus Atticum etiamsi patria Atheniensium dici possit, tamen haudquaquam pro sede et domicilio eorum, qui urbem Athenas inhabitarent, habendum esse — id quoque oblitus est, quod rectissime dixit O. Muellerus, Script. min. ab Ed. Muellero edit. Vol. I p. 503, et in Histor. liter. Gr. T. II, p. 52, ei qui in scaena theatri Bacchici Atheniensium staret, maximam urbis partem et portum fuisse ad sinistram, agrum vero Atticum paene totum ad dextram, atque inde esse factum, ut qui ex urbe vel a portu venirent, a sinistra, qui rure, a dextra procederent; unde apparet, quam parum sit probabile, hos

ab eadem parte processisse atque illos. Porro opus non est pluribus refutare Kolsterum Stud. Sophocl. p. 25 sqq. statuentem, verbum ἀγρόθεν non de rure Attico intelligendum esse, sed significare „peregre“ 8). Itaque quin vitium insit in scriptura ἀγρόθεν, me quidem judice, non est dubitandum. At conjecturae, quae a viris doctis propositae sunt, aut ferri omnino non possunt aut ita sunt comparatae ut verisimilitudinis careant specie. Corrigendum est procul dubio: ἀγχόθεν. Tradiderat igitur Pollux, ex sinistro aditu prodisse, qui ex vicinia, sive e portu, sive ex urbe, venirent. Subjicit: aliunde (h. e. non e portu vel ex urbe) advenientes pedibus altero uti aditu, verbum πεζοὶ ad ἀφικνούμενοι addens respectu habito ad praegressam locutionem ἐκ λιμένος, ita ut significet advenientes terra, non vectos navi. Scilicet Pollux quos e portu venire dicit, non tam intelligit accolas portus, quam eos, qui navi in portum venerint ex longinquo. Itaque secundum Pollucem a dextra prodibant omnes, quiqui peregre ab exteris vel ex rure Attico venirent terra, a sinistra vero tam peregrini navi advecti atque in portu egressi, quam oppidani. Apparet igitur, verbum ἀλλαχόθεν etiam ita accipi posse, ut sit „peregre“; quod vero Pollux de sinistro aditu agens non dicit „a

8) Ne injuriam faciamus viro doctissimo, saltem ea, quae l. c. p. 26 disputavit, exscribemus. Postquam illa fere protulit, quae paullo supra ab O. Muellero animadversa significavimus, ita pergit: „Halten wir aber nun das eben Gesagte mit den Worten des Pollux zusammen, so ergibt sich leicht, was ἀλλαχόθεν im Gegensatze gegen ἐκ λιμένος ἢ ἐκ πόλεως heisst: durch die Thür links (intelligit autem eum aditum, qui spectatoribus ad dextram est) geht das Landeskind ein, das nicht speciell als Bewohner der Stadt oder des Hafens aufgefasst werden soll, die Städter dagegen und die Anwohner des Hafens kommen durch die Thür rechts, auf dem Theater ebenso wie in der Wirklichkeit; aber durch dieselbe kommen natürlich auch die Fremden, die über Land, ἀγρόθεν, Kommenden. Ich weiss es freilich nicht nachzuweisen, dass ἀγρόθεν der Ausdruck für peregre ist; aber der Zusammenhang lehrt es unwidersprechlich, und es ist meines Wissens noch niemand gelungen nachzuweisen, in welchem Gegensatz es sonst zu ἀλλαχόθεν stehen könnte“. Quod postremo loco dicit Kolsterus, verissimum est; at, quum ἀγρόθεν significet „rure“, non „peregre, über Land“, eo ducere debebat ut haec scriptura damnaretur. Ceterum per se verum est, plurimos, qui terra ex locis ad Atticam non pertinentibus venirent Athenas, ex ea regione accessisse, quae scaenae ad sinistram erat. Sed si mos invaluerat, ut ii, qui ex rure Attico advenirent, a dextra introirent in theatrum atque hac ipsa intrandi ratione opponerentur iis, quos ex urbe venire fingeretur, fieri non potuit, quin ii, qui peregre terra esse profecti putarentur, a dextra prodirent.

domo", sed „ex vicinia", ideo esse factum, quod inter eos, qui illo aditu usi sunt, fuerunt etiam peregrini et portus, siquidem cum rure Attico compararetur, satis recte referri potuit in numero locorum vicinorum.

Praeterea aliquis primo obtutu offendat in eo, quod secundum Pollucem *ἡ ἑτέρα (περίακτος) τὰ ἐκ πόλεως, μάλιστα τὰ ἐκ λιμένος (δηλοῖ).* Nonne enim portu urbs potior est eatenus quoque, quod ex iis, qui prodeunt, plures numero sunt oppidani quam peregrini, qui navi appulerunt? Cui rei si quid esset tribuendum, in promptu esset scribere: *τὰ ἐκ πόλεως μάλιστα, εἶτα τα ἐκ λιμένος.* At compara, sodes, quae infra §. 131 scripta reperiuntur apud Pollucem: *καταβλήματα ὑφάσματα ἢ πίνακες ἦσαν, ἔχοντες γραφὰς τῇ χρείᾳ τῶν δραμάτων προσφόρους· κατεβάλλετο δὲ ἐπὶ τὰς περιάκτους ὄρος δεικνύντα ἢ θάλατταν ἢ ποταμὸν ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον.* Hinc sequi videtur, in machinis versatilibus plerumque topia fuisse, ita ut conjiciendum sit, picturas ad ipsam urbem spectantes potissimum in scaena ductili fuisse positas.

Denique censeo, iis verbis, quibus apud Pollucem refertur de effectu, quem edat machinarum, quae *περίακτοι* vocabantur, versatio, succurrendum esse emendando. Adstipulor iis, quae disputavit Schoenbornius l. c. p. 107, eatenus, quod et ipse sumo, versatam esse machinam dextram, ut viam a dextra ferentem mutari indicaretur. Cum via etiam locus mutabatur, in qua via erat. Sed non versabatur machina eo solo fine, ut locus novus ostenderetur. Jam propterea oportebat pro *τόπος* aliud poneretur verbum, quo via significaretur. Accedit quod verbum *τόπος* etiam ex ea interpretatione, quam jam ab aliis prolatam suam fecit Schoenbornius, vel per se parum placet. Quare ego — quum praesertim praeter *τόπον* in libris manuscriptis etiam exaratum reperiatur *τὸ πᾶν* eaque scriptura I. Bekkero alteram illam auctoritate antecellere visa sit, ut liquet ex eo, quod ipsam, quamquam ad sententiam minime aptam, verborum in perpetuitatem recepit[10]) — existimo scriptum fuisse: *πάτον.*

III.

Diu multumque disputatum est, qua via histriones, qui personas pedibus vel ex vicinia vel peregre advenientes agerent, in logeum prodissent. Olim

10) Injuriam faceret, opinor, Bekkero, si quis crederet, *τὸ πᾶν* ab eo de conjectura esse positum.

plerumque censebant, ascendisse eos per orchestram in scaenam; nunc plurimi in ea sunt sententia, ut eos ex aditibus illis, qui fuerunt in utroque logei latere, processisse existiment. Utrique provocant ad finem loci Pollucis, quem supra p. 9 exscribendum curavimus, et ad ea verba, quae proxime sequuntur §. 127: *εἰσελθόντες δὲ κατὰ τὴν ὀρχήστραν ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβαίνουσι διὰ κλιμάκων· τῆς δὲ κλίμακος οἱ βαθμοὶ κλιμακτῆρες καλοῦνται* [11]). Priori hominum doctorum parti locutio *αἱ πάροδοι* ad aditus orchestrae referenda esse et Pollux de solis histrionibns loqui videtur; alteri illam locutionem de aditibus in scaenam ferentibus intelligendam esse existimant, ea, quae de aditibus dicta sunt, ad histriones spectare censentes, sed postrema verba inde ab *εἰσελθόντες* Pollucis errore ex §. 109, ubi de choreutis sermo est, in hunc locum male intrusa esse opinantes, duce G. Hermanno. Sunt etiam, qui locutionem *αἱ πάροδοι* ad aditus orchestrae referant atque universo loco, cujus de sanitate non dubitant, de solis choreutis sermonem esse arbitrantur, postrema Pollucis verba sic capientes, ut eum nihil aliud voluisse censeant quam hoc: chorum ex orchestra in logeum ascendere, s i q u i d e m o p u s s i t [12]). Hi igitur, quamquam de via, qua histriones in logeum veniant, idem statuunt quod altera illa hominum doctorum pars, tamen negant, locum Pollucis, quo de sermo est, huic sententiae testimonio afferri posse. At interpretationibus, quas primo et tertio loco commemoravimus, ut alia taceamus, obstat vel id, quod jam omnino dubitari non potest, quin locutio *αἱ πάροδοι* de aditibus ad utrumque latus logei sitis accipienda sit; cfr. quae disputavimus de theatro gr. vet. agentes l. c., imprimis p. 225 seqq. et p. 231. Quod vero eam sententiam attinet, ex qua postrema Pollucis verba

---

11) G. Hermannus de Aeschyli re scen. p. 7 legendum esse censet: *εἰσελθόντες δὲ* **εἰς** *τὴν ὀρχήστραν*, provocans ad Kuehnium et Jungermannum, codices verba sic scripta dare testantes. Attamen I. Bekkerus non solum intactum reliquit verbum *κατά*, verum etiam siluit omnino scripturam *εἰς*, unde hoc certe colligendum videtur, repperisse eum in libris, quibus utebatur, scriptum *κατά*. Conjicias, utramque praepositionem positam fuisse a Polluce sic scribente: *εἰσελθόντες δὲ κατὰ* **τὴν εἴσοδον** *τὴν εἰς τὴν ὀρχήστραν*. Qua conjectura probata servabitur etiam aequabilitas orationis; proxime enim antegrediuntur verba: *κατὰ τὴν ἑτέραν (πάροδον) εἰσίασιν*.

12) Oblitus est Schoenbornius, qui hanc interpretationem proposuit l. c. p. 75, ostendere, quo jure tale quid, quale est, quod postremis verbis significavit, quaeri posset in simplici verbo *ἀναβαίνουσι*.

transponenda esse putantur, haec tam est temeraria, ut vix verendum sit, ne nisi quis praejudicatis opinionibus de condicione eorum, quae Pollux scripta reliquit, sit praepeditus etiamnunc eam probabilem ducat. Illorum verborum, me quidem judice, unice vera interpretatio est ea, quam olim in Diariis antiquitat. a Bergkio et Caesare editis ann. MDCCCXLV, p. 360 proposuit, (postea tamen in comment. de Aesch. re scen. p. X, adn. 3 cum temeraria illa G. Hermanni conjectura commutavit) Sommerbrodtius, Pollucem hoc velle existimans: etsi in more esset positum, ut choreutae in orchestram, histriones in logeum procederent, tamen nonnunquam accidisse, ut per orchestram actores ascenderent in logeum. Qui reputaverit, apud Pollucem *παρόδους* esse aditus ad latera logei, atque inde a verbis *τῶν μέντοι παρόδων* sermonem esse de histrionibus prodeuntibus, is, si attente legerit sententiam sic conceptam: „adituum quidem[13]) is qui dextrorsum fert, eorum est, qui e portu vel ex urbe veniunt; qui vero aliunde pedibus veniunt, per alterum intrant“, etiam ea quae sequuntur verba ad histriones referet interpretans: „si vero ingressi sunt in orchestram, in scaenam ascendunt per scalas“ [14]). Ceterum vix est quod expressis verbis moneam, non de omnibus histrionibus paullo ante significatis sermonem esse. Clarum est

---

13) Hac fere vi praedita est particula *μέντοι*. Quae de utroque aditu proferuntur, applicantur iis, quae in initio §. 126 dicta sunt. Particulae *μέντοι* in sequentibus respondet particula *δέ*, quae est post *εἰσελθόντες*.

14) Scalas quum dico numero plurali, non opinor plures una fuisse, eaque lignea, qualis conspicitur plus semel in vasis pictis. Ad binos illos gradus lapideos rectum ex orchestra adscensum praebentes, qui nunc quoque reperiuntur in nonnullis inferioris aevi theatris, provocare omnino non debebat Schoenbornius l. c. Pollucem de una tantum scala cogitasse, oppido liquet ex eo, quod subjecit: *τῆς δὲ κλίμακος*. Falsa sunt etiam, quae Schoenbornius his verbis de Polluce asseverat: „Für ihn ist nicht die Handlung des Heraufsteigens die Hauptsache, sondern die Treppen, da er es gerade mit den *μέρη τοῦ θεάτρου* zu thun hat; und darum vergisst er nicht, alsbald das solenne Wort für die Treppenstufen beizufügen, eilt aber darauf zu andern Theilen des Theaters fort“. Nobis quidem probabilius videtur, id quod Pollux expressis verbis refert de gradibus scalarum, eo ducere debere, ut ipsum ex adnotationibus ad poetam aliquem comicum hausisse sumamus, apud quem graduum scalarum illorum facta esset mentio. Et haudscio an ex eodem fonte fluxerit scholion iisdem verbis conceptum, quod est apud Hesychium Vol. II, p. 493, 95 Schmidt: *κλιμακτῆρες· οἱ τῆς κλίμακος βαθμοί.*

enim, verba *εἰσελθόντες* cet. spectare ad eos solos, „qui aliunde pedibus veniunt“ [15]).

Cum his verbis Pollucis homines docti contulerunt locum quendam Athenaei mechanici, quem, quum praesertim a G. Hermanno in Diariis literar. Jenens. a. MDCCCXLIII, p. 600 infelicissime sit tractatus, operae est denuo excutere. Athenaeus igitur de machinis agens loco, qui est in Vett. Mathemat. opp. a Thevenotio edit. Paris. a. MDCXLIII p. 8, haec tradidit: *κατεσκεύασαν δέ τινες ἐν πολιορκίᾳ κλιμάκων γένη παραπλήσια τοῖς τιθεμένοις ἐν τοῖς θεάτροις πρὸς τὰ προσκήνια τοῖς ὑποκριταῖς.* Scalas his verbis commemoratas Hermannus illas ipsas esse censuit, per quas ex orchestra in logeum ventum esset; neque exstitit adhuc, qui de hac explicatione dubitaret. Quae si vera esset, Athenaeus aperte ita loqueretur, ut sumendum esset, solos histriones scalis illis esse usos. Certe Hermanni sententia, verbo *ὑποκριταῖς* solos choreutas significatos esse censentis, nullo pacto ferri potest. Nam etiamsi quis largiri vellet, Athenaeum minus accurate loquentem verbum *ὑποκριτής* latiore sensu adhibuisse — id quod ego ut credam a me non possum impetrare —, saltem histriones non minus quam choreutae, sed ambo simul intelligendi essent. Accedit autem alia ratio gravissima cur scalas illas significatas esse ab Athenaeo omnino non credibile sit, haec, quod exputari nequit, quatenus comparari potuerint cum scalis obsidionalibus [16]). Jam his de caussis dubitari non potest, quin de aliis scalis in

---

15) Nemo opinor Schoenbornio adstipulabitur, l. c. censenti, licitum esse, ut in vicem subjecti ad verba *εἰσελθόντες δὲ ἀναβαίνουσι* nihil cogitatione suppleatur nisi *οἱ ἀφικνούμενοι.*

16) An etiamnunc existit, qui opinetur audiendum esse G. Hermannum sic disputantem: „Befremdlich kann es scheinen, wie Sturmleitern mit Treppen von einigen wenigen Stufen verglichen werden konnten. Diese Bedenklichkeit löst sich dadurch, dass, da *κλίμαξ* der gemeinsame Name für Leiter und Treppe ist, ein allgemein bekanntes Beispiel genommen werden musste, um die Beschaffenheit jener neu erfundenen Sturmleitern anschaulich zu machen. Da nun der Unterschied zwischen einer Leiter und einer Treppe darin besteht, dass auf der Leiter nur Einer auf einmal, auf der Treppe aber Mehre neben einander zugleich aufsteigen können, so zeigt sich nicht nur, wie jene Sturmleitern beschaffen waren, sondern auch warum sie als unbrauchbar verworfen wurden. Denn solche breite treppenförmige Sturmleitern können theils nicht an jeder Stelle und nicht mit solcher Leichtigkeit und Schnelligkeit, wie einfache, angelegt werden, theils bewirkt ihre Beschädigung durch die Belagerten, dass zugleich Alle mit einander, die auf einer solchen Treppe stehen, herabstürzen“?

fabulis agendis adhibitis sermo fuerit. Omnino in promptu est, scalas, quibus soli histriones usi sint, nullas alias cogitari posse, quam tales, quae ad scaenae parietem apponerentur. Hanc autem sententiam ut nanciscamur nulla omnino verborum Athenaei mutatione opus est. Quam enim variae fuerint verbi *προσκήνιον* significationes, nuper demonstratum est a nobis in script. de theatro gr. vetere, l. c., p. 214 seqq. Ex significationibus, quibus id praeditum fuisse ostendimus, adeo plures sunt, quae ad hunc locum quadrent: primo ea, ex qua *προσκήνιον* appellabatur aedificium illud, quod spectatoribus in cavea sedentibus pone scaenam sive logeum erat ideoque latino vocabulo appellari solet postscaenium, iis vero, qui extra versarentur ante frontem theatri, ante scaenam sive logeum erat atque hac ratione contrario illo modo significari poterat; porro ea, ex qua proscaenii significatio translata videri potest ad parietem spectatorum sedilibus obversum, in quo scaenici ornatus conspiciebantur, pariter atque illa, ex qua *προσκήνια* dictae sunt tabulae pictae, e quibus scaena ductilis constabat.

Quid quod nunc quoque exstant scalarum usui histrionum servientium exempla tam in picturis vasorum ad rem scaenicam spectantibus, quam in ipsis fabulis, quae supersunt? In pictura vasis, quam nos ad postremum edendam curavimus in libro de theatris et monumentis scaenicis, tab. IX fig. 13, non agi de scalis, per quas ex orchestra in logeum ascenderetur, jam olim adnotavimus picturam explicantes p. 61. In eadem tabula, fig. 13 et 12, duae cernuntur imagines inter se similes ex vasis pictis petitae, quarum in una conspicimus Bacchum per scalas ad superiorem contignationem aedium, in quibus degit Althaea, ascendentem, in altera vero Jovem ipsum portantem scalas simillimas, quas aedibus Alcmenes applicaturus est. Quod vero attinet ad fabulas, quae aetatem tulerunt, in Phoenissis commemoratur expressis verbis *κέδροιν παλαιὰ κλῖμαξ* (vs. 100), ferens *μελάθρων ἐς διῆρες ἔσχατον* (vs. 90), quibus scalis quin Paedagogus et Antigona ante oculos spectatorum tectum aedium regiarum scanderint, dubium esse non potest. Porro etiam in agenda fabula, cui ab Acharnensibus nomen inditum est, conspicuas fuisse scalas, easque e coenaculo domus Euripidiae in publicum ferentes, certo concludi potest ex loco, qui est vs. 394 sqq. Versatur Euripides in superiore parte aedium, ut liquet ex vs. 399, 409, 411. Inde Dicaeopolidi in manus dat plures res. Quomodo hoc fieri potuit, si hic stabat in platea ante aedes? An credibile est, effectum

esse ope eccyclematis, quod commemoratur sane vs. 409? Minime vero. Flocci non sunt facienda, quae hanc in rem disputavit Fritzschius adnot. ad Aristophanis Thesmophoriaz. vs. 265, p. 94 sq., id quod tacerem, nisi viderem, a viro docto vel monito haudquaquam prorsus abjecta esse in comment. de Eccyclemate, quae praemissa est indici lect. in Acad. Rostochiensi semestr. hibern. MDCCCXLVI—MDCCCXLVII habendarum, p. 7, adn. *. In Acharnensibus nullus usus fuit eccyclematis talis, quale describit scholiastes haec adnotans ad verbum *ἐκκυκλήθητι* vs. 407 positum: *τουτέστι συστράφηθι. ἐκκύκλημα δὲ λέγεται μηχάνημα ξύλινον τροχοὺς ἔχον, ὅπερ περιστρεφόμενον τὰ δοκοῦντα ἔνδον ὡς ἐν οἰκίᾳ διαπράττεσθαι καὶ τοῖς ἔξω ἐδείκνυε, λέγω δὴ τοῖς θεαταῖς,* atque etiam nuperrimus fabulae editor, rei scaenicae caeteroquin satis peritus, agnoscit post O. Muellerum (Script. min. Vol. I, p. 537) aliosque, quum ad vs. 470 adnotat: „eccyclemate retro tracto scenae paries clauditur". Credas, poetam ipsum satis cavisse, ne tam perperam judicaretur, quum Euripidem servo fecit imperantem: *κλεῖε πηκτὰ δωμάτων.* Scilicet illud *ἐκκυκλεῖσθαι,* quod vs. 409 indicatur, ut fieret, nihil aliud quam fores, quae erant in coenaculo, apertae sunt. Similiter, nisi quod agitur de janua in intima domo, statuendum est de loco Nubium, qui est vs. 184, ubi poeta ipse Strepsiadem compellantem fecit unum ex discipulis Socratis his verbis: *ἄνοιγε τὴν θύραν,* scholiastes vero encyclemati locum fuisse sumit haec adnotans ad vs. 185: *ὁρᾷ δὲ ὡς φιλοσόφους κομῶντας, στραφέντος τοῦ ἐγκυκλήματος,* ut alia taceam non minus huc pertinentia.

Omnino eccyclema in superiore contignatione nullum unquam fuit, nec vero potuit esse. In errorem abripuit homines doctissimos secus statuentes imprimis locus Pollucis, qui est IV, 128, quamquam, si animum probe attendissent ad postrema ejus verba, vel ex his colligere poterant, in singulis aedibus singula tantum fuisse eccyclemata singulis januis in infima domo respondentia. Reperiuntur autem illo loco haec verba posita: *τὸ μὲν ἐκκύκλημα ἐπὶ ξύλων ὑψηλὸν βάθρον, ᾧ ἐπίκειται θρόνος· δείκνυσι δὲ τὰ ὑπὸ σκηνὴν ἐν ταῖς οἰκίαις ἀπόρρητα πραχθέντα. καὶ τὸ ῥῆμα τοῦ ἔργου καλεῖται ἐκκυκλεῖν. ἐφ' οὗ δὲ εἰσάγεται τὸ ἐκκύκλημα, εἰσκύκλημα ὀνομάζεται. καὶ χρὴ τοῦτο νοεῖσθαι καθ' ἑκάστην θύραν, οἱονεὶ καθ' ἑκάστην οἰκίαν.* Quorum verborum quum plura citra necessitatem tentata sint [17]), propemodum intactum relictum est unum illud, quod

17) Fritzschius adn. ad Thesmoph. vs. 265, p. 63, corrigendum esse existimat: *καὶ τὸ ῥῆμα*

errorem illum creavit, dico equidem *ὑψηλῶν,* quod in codicibus haberi (ut invenitur etiam apud scholiastam ad Clementis Alexandr. Protrept. p. 11, 15 Potter., qui eadem atque Pollux tradit vel ex Onomastico ipso vel ex communi fonte hausta, vid. Clement. Al. opp. a Reinh. Klotzio recogn. Vol. IV, p. 98) referunt homines docti, qui ante editionem Pollucis ab. I. Bekkero curatam scripserunt, quamquam quum hic non adnotaverit, *ὑψηλόν* de conjectura scriptum esse, fieri potest, ut haec scriptura in nonnullis libris mscr. reperiatur. Utut est, vel lippus videat, *ὑψηλόν* non esse magis quam *ὑψηλῶν* ferendum. Aut omnia me fallunt aut scriptum erat: *ὑφελκτόν.* Qua conjectura admissa Pollux dicet: „eccyclema est in lignis protracta vel propulsa[18] basis", ligna intelligens trabes eas, quae trahae sunt pro rotis. Itaque Polluci haudquaquam vitio verti potest, quod omiserit significare, machinam mobilem fuisse et quo ea modo mota esset; in quo sane summopere esset offendendum. Quae tradiderat de his rebus, eo tantum differunt ab iis, quae leguntur apud reliquos testes — dico scholiastam ad Aristophanis Acharnenses l. c., cujus verba paullo supra p. 17 exscribenda curavimus, schol. ad Clement. Alexandr. Protrept., cujus modo mentionem injecimus, qui l. c. p. 97 seq. haec protulit verba non exstantia apud Pollucem: *ἐγκύκλημα ἐκάλουν σκεῦός τι ὑπότροχον ἐκτὸς* (immo: *ἐντὸς*) *τῆς σκηνῆς, οὗ στρεφομένου ἐδόκει τὰ ἔσω τοῖς ἔξω φανερὰ γίνεσθαι,* et Eustathium ad Homer. Il. p. 979, 15 seqq.[19]) —

ἀπὸ τοῦ ἔργου cet. At verba, quae in libris mscr. inveniuntur, idoneum sensum praebent ita accepta: „verbum (das Zeitwort), quo actio significatur, vocatur *ἐκκυκλεῖν.*" Similiter, ut nunc ipsum video, O. Muellerus Script. min. Vol. I, p. 526, adn. 3. — Porro G. Hermannus Opusc. VI, p. 166 scribendum esse censuit: *ἐφ' οὗ δὲ εἰσάγεται τὸ ἐκκύκλημα, εἰσκυκλήθρα ὀνομάζεται,* pro quibus verbis haec posuit Fritzschius comment. de Eccycl. p. 5, adn.: *ἐφ' οὗ δὲ εἰσάγεται τὸ εἰσκύκλημα, ἐγκυκλήθρα ὀνομάζεται,* neuter offendens in verbo novitio. At Pollux hoc voluerat: „ex eo vero, quod retro movetur in interiora loca eccyclema, eiscyclema appellatur. Quod schol. ad Clem. Al. l. c. praebet: *ὑφ' οὗ,* aut similiter est explicandum aut mutandum in *ἐφ' οὗ.*

18) Hesych.: *ὑφέλκεται· προτρέπεται.*

19) Apud Eustathium haec scripta inveniuntur: — *τὸ ἐγκύκλημα, ὃ καὶ ἐγκύκληθρον λέγεται, μηχάνημα ἦν ὑπότροχον, ὑφ' οὗ ἐδείκνυτο τὰ ἐν τῇ σκευῇ ἢ σκηνῇ.* Postrema verba parum recte tractata sunt a Fritzschio adn. ad Thesmoph. p. 95 et a G. Hermanno in Jahnii Annal. philol. a. MDCCCXLVIII, p. 5, quamquam illum non fugit, corruptam esse scripturam *σκευῇ,* quod etiam O. Muellerus l. c. p. 528, adn. 2, certe veri esse simile dicit. Significavi jam in scriptione de theatro gr. vet., *σκευῇ* corruptum videri ex *σκέπῃ.* Locutio *τὰ ἐν τῇ σκέπῃ* quid sibi velit, expli-

quod eccyclema ab ipso traha vectum esse, ab his vero agitatum rotis refertur. An ideo spernenda erit nostra emendatio? Non opinor. Verba Pollucis, ut a nobis sunt refecta, aptissima sunt ad eam, quam exostram dicebant in re scaenica; Pollux autem ipse paullo infra, IV, 129, scribit: *τὴν δὲ ἐξώστραν ταὐτὸν τῷ ἐκκυκλήματι νομίζουσιν,* qua de re consentientem habet Hesychium Vol. II, p. 129, 27 M. Schmidt. adnotantem: *ἐξώστρα· ἐπὶ τῆς σκηνῆς τὸ ἐκκύκλωμα.* Conferantur etiam scholiastae ad Aristoph. Thesmophor. vs. 276 in una eademque caussa exostrae et ecclyclematis usum fuisse statuentes, citati jam ab O. Muellero l. c. p. 529, adn. 1. Sed sanequam mirum esset, quod reliqui scriptores, qui de eccyclemate accuratius exposuerunt, nihil dixissent de throno, siquidem hic semper positus fuisset in eccyclemate. At non fuisse ita, certissimum est. Quae tradita sunt a Polluce, ad certam aliquam fabulam spectant, ut jam G. Hermannus monuit Opusc. T. II, p. 166, contra quem quae disputavit Fritzschius commend. cit. p. 4, adn., ea vellem tacuisset vir doctissimus. Haud dubito equidem, quin agatur de Thesmophoriazusis, quam fabulam unam eam esse inter superstites existimo, in qua id, de quo sermo est, eccyclema locum habuerit. In hac fabula agenda Agatho procul dubio sedens vel cubans conspiciebatur. Foras enim exisse dicitur carmina conditurus vs. 66 seqq. Meditabantur autem vel sedentes vel cubantes. Exemplo est apud Aristophanem ipsum Strepsiades in Nubibus, cfr. vs. 694, qui utitur eo, quem vs. 633 *ἀσκάντην,* vs. 709 *σκίμποδα* vocat poeta. In testimonium afferri potest etiam id, quod in Thesmophoriazusis res quasdam roganti ab Agathone Euripidi ille non dat in manus, sed hunc ipsum sumere jubet, cfr. vs. 252 et vs. 261 seq. Quid quod adeo commemoratur suppellex in eccyclemate posita, quae vel si Agathoni non fuerit pro sede vel pro lecto, tamen ansam dare potuit illi de throno in eccyclemate posito sententiae, his ipsis verbis ab Agathone ad Euripidem directis vs. 261: *λάμβαν' ἀπὸ τῆς κλινίδος*[20])? In Thesmophoriazusis etiam verbum *ἐκκυκλεῖν*

---

catur additis verbis *ἢ* (h. e. *ἤγουν, ἤτοι*) *σκηνῇ. Σκηνὴ* enim proprie dicebatur aedificium illud, quod vulgo latine vocant postscaenium, vid. quae diximus l. c. p. 208, quo usu adhibitum verbum est etiam in loco schol. ad Clement. Al. supra citato. Itaque illa Eustathii verba fere eodem redeunt atque haec Pollucis de eadem ipsa re prolata l. c.: *τὰ ὑπὸ τὴν σκηνὴν ἐν ταῖς οἰκίαις ἀπόρρητα πραχθέντα.*

20) Utrum per haec verba liceat sumere, Agathonem in ipso lectulo cubare vel sedere, nec

videmus adhibitum, vs. 97, et eiscyclematis non solum usum factum sed etiam mentionem injectam, vs. 265, quae res simul cum eccyclemate explicantur loco Pollucis, ut videtur, ex enarratione, qua doctus aliquis homo Thesmophoriazusas explicuerat, hausto.

Redeat jam, unde digressa est, oratio. Ergo in Acharnensibus agenda scalae ex superiore contignatione domus Euripidiae in publicum ferebant iisque utebatur Dicaeopolis. Scilicet fingebatur, hanc domum habuisse illos *ἀναβαθμούς*, quos antiquitus in usu fuisse Athenis ex Aristotelis Oecon. II, p. 1347 Bekk. constat. Quaeritur vero, num tales scalas, quales hae sunt atque eae, per quas in Phoenissis agenda Paedagogus et Antigona ascendebant, in animo habuisse Athenaeum probabile sit. Longiores sane scalas intelligendas esse liquido apparet, quidquid argutatur G. Hermannus, ita ut vel propterea non sit cogitandum de iis, quae conspiciuntur in imagine supra p. 16 primo loco citata. Sed quo jure illae scalae dici possunt „appositae proscaeniis in usum histrionum“ (sic enim vulgo accipitur locutio *τίθεσθαί τινι* ab Athenaeo adhibita)? Verum quidem est, eas solidas et plenas ex ligno esse constructas eo tantum fine, ut histriones eis possent uti (quo si non esset opus, satis erat, pingendo imitari tales scalas). At quis sibi persuadeat, Athenaeum hoc ipsum verbis illis exprimere voluisse? Qui quum aperte de scalis mobilibus cogitaverit, haud videtur dubitandum, quin „scalas ab histrionibus appositas proscaeniis“ significare voluerit, quales sunt eae, quae in imaginibus supra p. 16 secundo et tertio loco citatis conspiciuntur, nisi quod hae haudquaquam eam ipsam, quam Athenaeus in mente habet, speciem referunt.

---

ne, in medio relinquam. At facile fieri potuisse ut *ἡ κλινὶς* a vetere aliquo interprete, hanc sedem esse Agathonis censente, verbo *θρόνος* explicaretur, non est non credibile. Primo loco velim animus advertatur ad id, quod vel in scholiis, quae aetatem tulerunt, duae diversae reperiuntur verbi *κλινὶς* interpretationes, quum tam *κλίνη* tradatur esse quam *βάθριον*. Jam ea, quae proprie vocabatur *κλινίς*, apud Hesychium Vol. II, p. 494, 3 Schmidt. dicitur esse: *ἡ ἐπὶ τῆς ἁμάξης νυμφικὴ καθέδρα*, ut etiam Pollux X, 33 tradit, eam usui fuisse sedentibus. Praeterea notum est, verbo *κλισμὸς* et thronum significatum esse et lectum, qui proprie appellabatur *κλίνη*. Taceo alia.